

4

*Primus in orbe DEOS fecit timor.*

Alii ab antiquo *ἑεῖν* quod est *ponere* vel *disponere*, ut vox *Θεός* tribuatur DEO, quod omnia disponat & ordinet. Denique nonnulli *ἄπὸ τοῦ αἵφεν* ab *urendō* deducunt, quod DEUS sit ignis urens & impios consumens. Et hæc de Etymologia hujus vocis; jam sequitur ejus significatio.

§. 2. Vocabulum *Θεός* apud Autores multâ ambiguitate pressum legitur: Sic *Θεός* (1) sumitur per metaphoram pro *Gentilium* idolis, sic Paulus 1. Cor. 8. 4. inquit: *etiamsi sint, qui dicantur Dii in cælo vel in terrâ, quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi, nobis tamen unus est DEUS, per quem omnia & nos per illum.* Confer Deut. 32. 17. (2) sumitur pro hominibus divinum officium gerentibus. Sic vocantur Reges & Rerum publicarum civilium Gubernatores, quia his DEUS aliquo modo suam potentiam, officium ac dignitatem communicavit, quod Psal. 82. 6. indicare videtur, quando ait: *vos Dii estis & filii Excelsi, verumtamen sicut homines moriemini & sicut unus ex principibus cadetis.* Vel, ob similitudinem appellantur DII, quod sicuti DEUS omnibus præest, ita illi perinde aliorum Domini ac gubernatores esse videntur. (3) Vocabulum *Θεός* sumitur pro *Angelis*, ita ut Angeli etiam dicantur DII, eò quod familiaritatem DEI aut etiam majorem quandam copiam felicitatis & similitudinem cum DEO habeant, quàm ulla alia creatura. Sic Ps. 97. 7. Adorare eum omnes Dii, quod LXX. verterunt Angeli. Quomodo & Autor Epistolæ ad Ebræos 1. 6. illud citat, quando inquit: Adorate eum omnes Angeli DEI. (4) Diabolus etiam dicitur DEUS non quidem simpliciter, sed cum additamentō, *hujus mundi*, eò quod potenter in eò regnet & totus mundus se ad ejus libitum ac gestum componat, atque ad ejus præscriptum vivat. (5) Apud Aristotelem 1. 1. Polit. c. 2. DEUS vocatur homo aliquis virtutibus

A 2

tibus